

115. PALMA major, trunco crasso crassitie corporis hamani, spinosa: spinis erectis subulatis rigidissimis; *Frondeb* pinnatis longis, stipite dorso quoque spinoso. *Corosa* vulgo.
- CAL. *Spatha* magnæ, lanceolata, foras vellere crasso hirsuta, firmæ.
- PER. *Fructus* sunt globosi, pomorum figura & magnitudine, glabri, sed pilis rigidis, deciduis hispidi, quibus deratis glaberrimi. *Cortex* exterior spatiolo a pulpa remotus, siccus. *Pulpa* tenax, fibrillis e centro oriundis, humida, succo glutinosa.
- Nux globosa, dura, putamine osseo nigriusculo: Nucleus globosus, gustu Cocorum, solidus.
116. CASSIÆ affinis foliis pinnatis bijugis, floribus solitariis, staminibus omnibus æqualibus.
- Radix* perennis.
- Caules* aliquot decumbentes, usque tripedales, extremitate adscendentes, filiformes, teretes, sursum præsertim pubescentes vel pilosi, pilis patentibus, apice gluten cementibus. *Rami* pauci, alterni, consimiles.
- Folia* alterna, ad superiora caulis pinnata: pinnis duor. parium, subrotundis & elliptico-subrotundis, glaberrimis, integerrimis, planis. *Petiolus communis* filiformis, pilosus uti caulis, sesquuncialis & basi crassiusculus; *partiales* vix ulli, s. brevissimi, crassiusculi.
- Stipule* breves, acutæ, lineares, patulæ.
- Flores* solitarii, axillares, alterni, terminales; *pedunculi* simplices, teretes, patentes, semiunciales.
- CAL. *Perianthium* pentaphyllum, reflexum: foliolis linearibus, acutis, membranaceis, longitudine trium linearum, deciduis.
- COR. *Petala* quinque, erecto-patula, paulo inæqualia, obovata, calyce duplo longiora vel semiuncialia, unguiculata unguiculis teretibus.
- STAM. *Filamenta* decem, brevissima, linearia. *Antheræ* lineares, teretes, curvæ, calyce paulo breviores, apice conniventes, duobus foraminibus perforatæ; omnes æquales fertilesque.
- PIST. *Germen* lineare, curvum, longum. *Stylus* subulatus. *Color* Corollæ luteus.